



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Eucherus Ep: 20. Februarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

hilo tamen minùs paupertatem, & luctum detestaris. *Cruz placet in aris, displicet in corde. Quousque facta tua fidei repugnabunt tuæ? Habe præ manibus Evangelium, præcipua ejus placita perpende, in eoque Evangelio, ut in speculo, miserum statum animæ tuæ perspicias, atque dices cum S. Hieron. esse Christianum, grande est: non videri.*

3. Ne pudeat te Evangelii partes suscipere adversus infideles, Hæreticos, impios, & solutioris vitæ Christianos. Evangelii causâ totum sanguinem tuum, si expediret, profundere deberes: Attamen sæpè verbulo parcis, loqui metuis, dicteria times, dum expedit, impium os debacchans in Evangelium, comprimere. *Non erubescio Evangelium. S. Paul.*

S. EUCHERIUS EP:

20. Februarii.

Omnes, qui piè volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur. S. Paulus. ad Tim. cap. 3.

EUCHERIO nascituro Infulam Aurelianaensem Angelus promisit; dedit deinde hæc Carolus Martellus; sed idem, cum aures calumniatoribus præberet, pessimo consilio ademit. Excepit Colonia exulem parum jam morantem, quâ in parte exilii potissimum

tissimum viveret, cum exilium esse totum orbem non malè jam tunc credidisset, cum Monachum prius quàm Episcopum induit. At verò gravius jam erit Carolo, cælo exulare. Certè EUCHERIUS dum inter preces Inferorum ergastula contemplatus est, vidit hunc ipsum Carolum non jam purpurâ sed ignibus ardere, didicitque ob manus sacris injectas, spoliisque pauperum ditatos milites (time Ætas nostra) corpore quoq; jam poenas dare. Atque EUCHERIO si fidem non dedit Gallia, certè tumulto potuit dare, qui apertus præter ignium vestigia vacuæque tumbæ custodem draconem, nihil ostendit. Itaq; qui exulare virtutem regno iusserat, tumulto etiam exul fuit, cum interim EUCHERIUS cælo receptus rideat illos, qui Patriam in terris quærunt: neque vacuum Gallis tumultum ostendat; in illo cæci oculos suos, claudi pedes, miseri passim

omnes salutem reperiunt,

Ex Surio,

MEDITATIO

De persecutionibus.

Virtuti infensus est mundus: Sancti quiescere, & gaudere in mundo nequaquam possunt.

possunt. Para te igitur ad ferendas eius persecutio-
nes, si velis piè vivere in Christo JESU, ipsiq; eo
animo servire. *Non est discipulus supra Magistrum.*
O te felicem! quod ut JESUS, & pro JESU non
nihil patiaris. Quàm suaves tibi esse debent mundi
persecutiones, quibus sis amicus Dei! At quàm
metuendæ! quàm crudeles ejusdem blanditiæ, quæ
divinam solvunt amicitiam! *O seculum nequam, quod
suos sic beare soles amicos, ut Dei facias inimicos!* Bern.

2. Flocci facias judicia & sermones mundi, cæcū
quippe, temerarius, & iniquus est rerum æstimator.
Cura duntaxat, ut Deo, & conscientiæ tuæ facias
satis; quod ubi feceris, garriant, obloquantur,
quantum voluerint alectæ mundi; sibi, non
tibi nocebunt. Verborum, & factorum tuo-
rum sanctitate, palàm proba, repudiare te tum
placita, tum exempla mundi. Esto paratus ad in-
jurias, dicteria, calumnias, & dic fidenter cum
sancto Paulo: *Si hominibus placerem, Christi servus
non essem.*

3. Persevera in usu bonorum operum, & à cœptæ
virtutis viâ nullo modo discede. Sperne mundi con-
satus; hac ratione virtuti tuæ factam injuriam, &
prolata in te verba, gloriosius ulcisceris. Mundus
arma ponet, ubi invictum te deprehendet. Ora Deum
pro iis, qui ansam tibi præbent exercendæ patientiæ.
Benefac iis, qui oderunt te; hæc oratio, & hoc
exemplum charitatis efficiunt, ut omnes mirentur
tuam virtutem, eamque non pauci imitentur.

S. MAURITIUS